

mendum est, ne terra concutiatur cum cauernæ sunt flatum plenæ. si enim horum est uis tanta, ut spacia non sufficiant ijs coercendis, tum sequitur motus, & perturbatio, & lucta inter vaporem ac terræ molem. Quo fit, ut exitu negato, ipsi sibi halitus cōcussa terra, & sæpe diuisa uia aperiāt. Sed nō implet uaporib. aer, nisi isti ex terre præcordijs eliciantur: et cum abeūt, non tremet unquam terra.

Prædicunt etiã alluiones, & causam narrāt ridiculã. A cometa, dicunt, dum ardet, calefit aer atque siccat, etiam illo finito feruor quidam, & adustio in aere manet: suspenduntur imbres, arefcit aer ac terra: sequitur ergo, ut post longam cum feruore ariditatem, pluuię ingentes deuoluātur. Atq; inde sunt magnæ alluiones. Ita, cū de rerum physicarum ui & effectibus disseratur, etiam euentus recensent qui remotissimi sunt, & alia de caussa fiūt. Perinde ac si non sit à Philosopho alienum dicere, à Notho vento effici sanitatem, quia cum faciat per se morbū, curatur tamen æger, ut à perito felicitàq; medico persanetur. Quare huius anni perpetuæ pluuiæ non fauent istis, cum omnes ariditatem et incendia prædicant: ex inopia uerò pluuiarum uelint postea fieri alluiones.

De morte Principum paulo post agam. Nunc illud studeo scire, quæ ratione tumultus & bella à Cometa fiant. Bilem gigni scribunt, & eam quidem adustam, ego uerò non gigni affirmo. Nam calor interior adurit sanguinem, non externus. Et cum incalescit per æstatem aer, frigescent interiores animalium partes, uti etiam in terra fit. Et si fiunt bilis uomitiones, id accidit, quia humor per hiemem genitus in æstate reijcitur. À Cometa uerò neque æstus, neque leuis calor. Mitto tuas rationes, clemens Patrone, quibus doces bilem causam belli non esse. Hoc ego vnū addo, hominum sobriorum, astutorum inquam, esse inferendi belli con-

Belli cupidi qui,

filie